

Quaestiones disputatae (Florence, Bibl. Naz. D. 6. 359)

Transcribed by Tuomas Vaura¹

Abbreviations

add.	addidit
del.	delevit
fol.	folium
marg.	marginē
om.	omittit
[...]	additio
<...>	additio editoris
(?)	lectura incerta

Quaestio 6: *Utrum omnes virtutes sint taliter adnexae ad invicem, quod una non possit haberi sine alia?* (fol. 103vb)²

Quaesitum fuit, utrum omnes virtutes sint taliter adnexae ad invicem, quod una non possit haberi sine alia? Et quod non sint connexae probabatur sic primo. Si virtutes sunt connexae, aut hoc est quantum ad actus, aut quantum ad habitus. Sed non ratione habitus, quia illi sunt in diversis subiectis. Quae autem sunt in diversis subiectis ad invicem non dependent. Non etiam ratione actus, quia actus sunt ad invicem distincti. Ergo, nullo modo sunt connexae.

Item, nullus potest facere operationem alicuius virtutis nisi habita illa virtute, eo quod omnis actus substantialis vel accidentalis est a forma sibi correspondente. Sed multi peccatores habent et faciunt operationes <102ra> plurium virtutum, ergo illas habent. Sed constat, quod non habent alias virtutes quibus sunt opposita peccata quae habent. Ergo, si aliquas habent et aliquas non habent, iam non sunt connexae.

Item, impossibile est habere perfectum actum misericordiae sine perfecto habitu. Sed patet, quod quisquis expendit omnes facultates suas in opera misericordiae et superaddit corpus suum habet perfectissimum et summum actum misericordiae, ergo habet habitum. Sed talis potest haberi sine caritate, sicut

¹ The transcriber would like to acknowledge the funding from the European Research Council for the research project *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* under the grant agreement n. 637747. The line division of the transcription follows the line division of the manuscript.

The transcription may be cited as follows:

Quaestiones disputatae q. 6, Tuomas Vaura (ed.), *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* -project. URL = <<https://blogs.helsinki.fi/rationality-in-perception/texts/>>. 2019.

² It seems that Peter of Trabibus is the author of this question, because of the similarities between this question and *Lectura* lib. 3, d. 36, q. 1. Both argue, for example, that perfect virtues are linked, but imperfect virtues are not linked. They also partly quote the same texts.

dicit Apostolus *Ad Corinthios XIII*,³ ergo etc.

Item, impossibile est esse duo opposita in eodem simul. Sed paupertas est virtus et magnificentia est virtus, quae ad invicem sunt impossibiles. Ergo, una non stat cum alia. Minor probatur, *IV Ethicorum*,⁴ ubi dicitur, quod inops non potest esse magnificus.

Item, si virtutes sunt connexae, ergo qui habet caritatem habet virginitatem, bene sequitur, locus a toto in quantitate. Sed Petrus habuit caritatem et etiam Habraam, non tamen virginitatem cum habuerint filios, ergo etc.

Item, sicut se habet genus ad suas species, sic virtus ad singulas virtutes. Sed genus ita se habet, quod potest esse una species animalis sine alia. Ergo, sic erit de virtutibus, quod poterit esse una virtus specifica sine alia specie virtutis.

Item, cui competit diffinitio et diffinitum. Sed una virtus, puta fortitudo, vere habet nomen virtutis, ergo oportet, quod conveniat ei diffinitio. Sed diffinitio est haec "quae habentem perficit et opus eius bonum reddit".⁵ Ergo, fortis est perfectus et opus eius est bonum. Et sic non oportet, quod habeat alias virtutes, alias non esset perfectus. Ergo, ipsae non sunt connexae.

Item, quando aliquae sunt connexa non contingit reperiri unum sine alio. Sed multi sancti habuerunt caritatem et tamen caruerunt aliquibus virtutibus, quod patet per Gregorium, qui dicit, quod ipsi non minus gaudebant de virtutibus quas non habebant quam de illis quas habebant.

Contra, quicumque vivit recte habet omnes virtutes. Sed qui habet unam virtutem vivit recte, ergo etc. Minor probatur per Augustinum,⁶ qui dicit, quod virtus est bona qualitas mentis qua recte vivitur, qua nemo male utitur, quam Deus sine nobis operatur.

Item, Augustinus, *De trinitate VI, IV capitulum*,⁷ quamvis virtutes, quae sunt in animo, possint singulariter intelligi, non tamen umquam possunt ab invicem separari, sed talia de necessitate sunt connexa.

Respondeo, dicendum, quod ad istam quaestionem melius videndam primo oportet videre, quid vocemus virtutem⁸ et quare est necesse ponere in nobis virtutem, secundo videre propositum.

³ I Cor 13.

⁴ Aristoteles, *Ethica Nicomachea* IV.5, 1122b.

⁵ Aristoteles, *Ethica Nicomachea* II.5, 1106a.

⁶ Augustinus, *Retractationum libri duo* lib. 1, cap. 9.(?)

⁷ Augustinus, *De trinitate* lib. 6, cap. 4.

⁸ Scripsit sed del. *secundo*

Quantum ad primum est notandum, quod virtus est dispositio perfecti ad optimum, *VIII Physicorum*.⁹ Omnis autem dispositio est quaedam qualitas. Hoc autem potest esse dupliciter, sicut dicitur in *Praedicamentis*,¹⁰ quia aut illa qualitas est de facili mobilis a subiecto, sicut est rubedo in facie, et calor in manu, et huius. Et quando sic est, solum vocatur dispositio. Si autem illa sit aliquantulum firmata quod faciliter non moveatur vel recedat a subiecto, talis qualitas appellatur habitus ab habendo, eo quod ille qui talem qualitatem habet aliquantulum se habet per ipsam, vel in se, vel ad aliquid aliud. Unde, *V Metaphysicae*,¹¹ dicit, quod habitus dicitur dispositio secundum quam bene vel male disponitur dispositum, aut secundum se, aut ad aliquid aliud. Puta grammatica est dispositio secundum quam est disponitur grammaticus ad grammaticandum, sicut etiam habitus moralis est secundum quem bene nos habemus ad passiones. Illa igitur subiecta, quae possunt se habere aliter quam uno modo, illa indigent aliquid habere ut se habeant bene. Sicut est, quia lingua nostra potest bene et male loqui latinum, indiget regulari aliquo habitu, quo se habeat solum bene. Unde, quia potentiae naturales non possunt divertere et deviare in suis actibus, hinc est quod non indigent aliquibus habitibus. Sed anima humana, cum sit rationalis et possit variis modis se habere, indiget ne deviet a suo fine et suo opere aliqua regula, quae quidem regula potest dici habitus, eo quod per ipsum anima aliquo modo se habet bene. Ergo, cum intellectus et voluntas possint bene et male se habere, indigent habitibus congruentibus sibi. Sic ergo patet, quod licet talis qualitas ut est in subiecto sit quaedam forma accidentaliter facta ab aliquo principio activo sibi simili, sed in quantum talis forma sive qualitas est dispositio est illud quo mediante bene se habet potentia ad suum actum et obiectum. Et pro tanto dicitur, quod potentiae distinguuntur per habitus, et habitus per actum, et actus per obiecta. Ita quod si talis habitus disponit potentiam secundum quod convenit naturae suae respectu
<102rb>
sui obiecti, dicitur bonus, puta quando est secundum rationem, quia illa potentia est rationalis. Si vero disponit ita quod sit disconveniens naturae suae, id est, contra rationem, dicitur malus. Et hinc est quod habitus distinguuntur per differentiam boni et mali, ita quod ille habitus, qui bene, vocatur¹² virtus, quia habentem perficit et opus eius, id est, actus circa obiectum, dicitur bonus, *II Ethicorum*.¹³ Sed ille, qui male, vocatur vitium, quoniam non est aliud vitium in tali rationali natura, nisi operari actum sibi non convenientem. Potest autem una potentia considerare in uno obiecto varias rationes formales, et sic potest esse in uno obiecto materiali ratio multiplex. Sic in una potentia potest esse multiplex habitus illam disponens ad illa. Bene consideranda est autem unumquodque determinatur propria operatione, sicut dicitur terra bona, quia fructum bonum affert, quoniam eius operatio propria est fructificare. Et tunica quando bene vestit secundum dispositionem corporis, ita quod non est nimis parva vel magna. Et sic est de potentiis, quod earum bonae operationes et usus dicuntur¹⁴ virtutes. Unde Augustinus, *De libero arbitrio II*,¹⁵ virtus est bonus usus

⁹ Aristoteles, *Physica* VII.3, 246b.

¹⁰ Aristoteles, *Categoriae* VIII, 9b.

¹¹ Aristoteles, *Metaphysicae* V.20, 1022b.

¹² Scripsit sed del. *bonus*

¹³ Aristoteles, *Ethica Nicomachea* II.5, 1106a.

¹⁴ Scripsit sed del. *usus t*

¹⁵ Augustinus, *De libero arbitrio* lib. 2, cap. 19.

liberi arbitrii. Item, *83 quaestio*,¹⁶ ordinatio qui virtus vocatur est frui fruendis et uti utendis. Planum est autem, quod frui vel uti sunt quidam actus vel operationes ad debitam materiam. Sic etiam dicit Tullius, *De tusculanis quaestionibus*,¹⁷ quod sicut est sanitas in corpore, ita est virtus animae.

Sic ergo

resumendo primum verbum *VIII Physicorum*,¹⁸ quod virtus est dispositio perfecti ad optimum perfecti, scilicet subiecti quod perficit illa talis dispositio quem habitum vocamus, dico cum non sit nisi unum optimum, eo quod illud quod dicitur per superabundantiam uni soli convenit, quod virtus erit dispositio sive habitus, quo bene se habet anima eo disposita ad optimum Deum. Haec est ratio Augustini, *De moribus Ecclesiae*,¹⁹ quod illud optimum, ad quod oportet animam disponi per assimilationem ad ipsum, non potest esse nisi Deus. Unde propter hoc vocatur ultimum, quod potest attingere potentia volitiva et rationalis, sicut sol est ultimum ad quod potest post(?) quilibet melior oculus attingere. Nam virtus etiam dicitur esse ultimum de potentia, *II Celi et mundi*.²⁰ Ergo oportet animam bene se habere circa²¹ optimum. Hoc autem esse non potest, nisi ipsum cognoscat. Exemplum de sagittante, qui numquam bene se habet ad signum, nisi praecognoscendo ipsum. Hinc est quod oportet in omnibus praemittere fidem, qua anima bene se habet ad Deum optimum in cognoscendo, propter quod nulla alia virtus habet rationem virtutis proprie sine fide. Iuxta illud Apostoli, *Ad hebraeos*,²² sine fide impossibile est placere Deo. Unde Augustinus, *De civitate Dei*, quae virtus vera sui Dei nescia? Et vere nulla, sicut nulla est visio sine colore, qui est obiectum visus, sicut nulla est virtus ignorans suum obiectum. Et haec est ratio, quare dicitur maius peccatum recedere a fide quam a caritate, non quod ipsa sit melior, sed quia prior, et in per se ordinatis destructo priori omnia alia destruuntur, non e converso. Nec valet obiectio, quae potest fieri, illud est melius cui maius malum opponitur, verum est nisi unum illorum includat alterum, exemplum de fundamento et tecto. Sic autem est in proposito, quod caritas non est sine fide. Ergo, apparet quod anima bene se habet ad optimum per fidem ipsum cognoscendo. Sed hoc non sufficit bene se habere ad unum obiectum cognoscendo solum et non plus. Nam in eodem obiecto materiali sunt plures rationes formales ad quas omnes oportet bene se habere ipsam animam, quoniam bene potest contingere, quod bene se habeat in cognoscendo et male se habebit in diligendo, exemplum de inimicis.²³ Ideo oportet, quod per alias virtutes bene se habeat ad ipsum, puta per caritatem et spem, quibus habitibus anima disposita recte se habebit ad optimum cognoscendo et amando. Illud autem, quod quis iam cognoscit et amat, per consequens, se posse habere sperat. Unde, *Psalmus LXXII*,²⁴ postquam ostendit disputando qualiter se habebant circa Deum multi male, dicit, mihi autem adherere Deo bonum est et ponere in Domino Deo spem meam.

Quantum ad secundum, hiis visis

¹⁶ Augustinus, *De diversis quaestionibus octoginta tribus* q. 30.

¹⁷ Cicero, *Tusculanae disputationes* lib. 3, cap. 4, par. 9

¹⁸ Aristoteles, *Physica* VII.3, 246b.

¹⁹ Augustinus, *De moribus ecclesiae catholicae et de moribus Manichaeorum* lib. 1, cap. 11.(?)

²⁰ Aristoteles, *De caelo et mundo* I.3, 286a.

²¹ Scripsit sed del. *ult*

²² Hbr 11:6.

²³ Scripsit sed del. *o*

²⁴ *Psalmi* 72:28.

restat videre propositum, utrum videlicet tales virtutes ita sint connexae, quod una sine alia haberi non possit. Ad quod est dicendum, quod de virtutibus est loqui secundum eorum duplicem statum,²⁵ inchoationis, scilicet, et perfectionis. Secundum primum statum, scilicet imperfectum, communiter dicitur, quod non sunt connexae, sicut probat

Philosophus in *VI Ethicorum* in fine.²⁶ Et ideo non dicitur per eas homo simpliciter bonus, sed dicitur secundum quid talis. Si²⁷ vero loquamur de eis secundum statum perfectum, in quo merentur, dici absolute et simpliciter virtutes, prout faciunt habentem bonum simpliciter, sic communiter dicunt, quod sunt connexae, in quo est etiam gradum invenire.²⁸

Ideo possunt recipere intensionem, quam si excederent, intrant statum virtutum heroicarum, id est, divinarum. Huius autem ratio est satis
<102va>

in promptu volentibus considerare. Nam sicut docet Philosophus, *I Ethicorum XIV*,²⁹ virtuosus est vere bonus, cuius vita erit talis quoniam semper et maxime omnium speculabitur et operabitur, quae secundum virtutem et fortunas optime feret, et ubique prudenter se habebit omnino, qui ut vere bonus et tetragonus sine vituperio. Ex quibus satis apparet, quod virtuosus et bonus non solum bene se habet respectu finis, quo ipsum attingit, immo etiam omnibus contrariis fini resistit ne ab ipso advellatur. Ideo vocat eum tetragonum et prudenter se omnino habere ubique, quod facere non posset nisi mutuo se virtutes iuvarent. Verbi gratia,³⁰ sicut videmus in artificialibus, quod mutuo sese indigent, puta in congruitate orationis iuvat ipsa grammatica logicam et rethoricam, sed in sermonis venustate rethorica adiuvat illas duas, sed in argumentationis opportunitate sit e converso, quoniam logica iuvat grammaticam et rethoricam. Similiter est in politicis, quod una indiget fulciri per aliam ne a suo fine advellatur et suo actu. Puta³¹ si quis habent (sic) virtutem castitatis, et delectetur in ipsa diligendo mentis et corporis puritatem, et per se abhorreat contraria, tunc si non iuvetur a fortitudine, cito cadet propter terribilia oblata ei inferenda nisi adulterium faciat. Vincere autem talia terribilia non habet facere castitas sed fortitudo, quae in periculis firmat³² voluntatem praeferendo bonum castitatis corporis laesioni, quod si non faceret, sed adulterium committeret, caderet a castitate, non concupiscentia sed timore superatur. Sed non est dubium, quod vera³³ virtus non est quae in contrarium suo fini obliquari potest et deficere ab eo, secundum quod ait Augustinus, *Sermone de operibus misericordiae*, caritas quae deseri potest, numquam vera fuit. Castus vero ille non esset nisi fortis esset. Praeterea dato quod sit castus et fortis, tamen offeratur(?) ei copia munerum, si incestum agat. Et tunc nisi iustus sit detestans male acquisita, sed sit cupidus vel avarus illa munera recipiet. Nam talia spernere non potes fortitudo vel castitas, sed vera spiritus paupertas, quae

²⁵ "duplicem statum [...] in *VI Ethicorum* in fine", cf. Henricus de Gandavo, *Quodlibet* 5, q. 17, fol. CXCv.

²⁶ Aristoteles, *Ethica Nicomachea* VI.13, 1144b-1145a, cf. Henricus de Gandavo, *Quodlibet* 5, q. 17, fol. CXCv-CXCi.

²⁷ "Si vero loquamur [...] virtutum heroicarum", cf. Henricus de Gandavo, *Quodlibet* 5, q. 17, fol. CXCIr.

²⁸ Cf. "Dicendum est igitur, quod virtutes sunt conexas, si perfecte et complete accipiantur. Si autem imperfecte, non oportet quod sint conexas." Peter of Trabibus, *Lectura* lib. 3, d. 36, q. 1.

²⁹ Aristoteles, *Ethica Nicomachea* I.11, 1100b.

³⁰ "Verbi gratia [...] iuvat grammaticam et rethoricam", cf. Henricus de Gandavo, *Quodlibet* 5, q. 17, fol. CLXXXVIIIr.

³¹ "Putat [...] sed timore superatur", cf. Henricus de Gandavo, *Quodlibet* 5, q. 17, fol. CLXXXIXr.

³² Scripsit sed del. fortitudinem

³³ "Vera virtus [...] detestans male acquisita", cf. Henricus de Gandavo, *Quodlibet* 5, q. 17, fol. CLXXXIXr.

abicit omnes divitias propter virtutis bonum. Et ideo oportet quod sit connexa cum aliis. Et haec est sententia Gregorii, *XXII Moralis I*,³⁴ quisquis virtute aliqua pollere creditur, tunc veraciter pollet, cum vitiis ex alia parte non subiacet. Nam si ex alio vitio subiacet nec hoc est solidum ubi stare putabitur. Item, *XXI capitulum III*,³⁵ omnes virtutes vicaria operatione se sublevant, ut quia una virtus sine alia, vel nulla est omnino, vel minima, nisi vicissim sua coniunctione fulciantur. Unde superba castitas et inquinata humilitas apud Deum non proderit. Item, nam intellectui(?) in uno vitio excecato facit videri contraria fini illius virtutis ei oppositae, quia omnis malus est ignorans quae operari oportet. Et ratio huius est, quia qualis unusquisque est talis sibi finis videtur, *III Ethicorum*.³⁶ Unde in finem *VI* dicit,³⁷ quod malitia mentiri facit. Ergo satis apparet, quod talis in sola castitate vel pluribus aliis, dummodo non habeat omnes, non potest perseverare in suo statu. Unde licet per se delectetur in ea et horreat eius opposita, sed hoc facit quoniam continens, si non est temperatus, dico persuadebitur. Unde, *VII Ethicorum XV*,³⁸ adsignans differentiam inter incontinentem et intemperatum, dicit, quod intemperatus prosequitur corporales delectationes non persuasus, sed incontinens prosequitur eas persuasus. Et hoc est, quod dominus noster eleganter dicit, adsimilans hominem sapientem illi, qui aedificavit domum suam supra firmam petram, contra quam descendit pluvia et venerunt flumina, flaverunt venti et irruerunt in domum illam et non cecidit, *Glossa*, aedificium virtutum, *Matthaei VII*.³⁹ Unde Gregorius post verba supra allegata, *XXII Moralis*,⁴⁰ dicit, sic unaquaeque virtus tunc minor est quando desunt ceterae. Nam saepe quosdam pudicos vidisse contigit, sed non humiles sed in misericordes, quosdam vero humiles, sed non misericordes, quosdam misericordes sed numquam iustos. Sed certum est quod nec caritas in corde eius vera est, cui humilitas deest, quippe quia superbia se intrinsecus corrumpente, semetipsum diligens, a divino amore fornicatur. Nec humilitas vera est cui misericordia iuncta non est. Nec misericordia vera est quae a rectitudine iustitiae existit aliena. Ecce aperte luce clarius dicit Gregorius⁴¹ quod, virtus ut est imperfecta et minor non est cum aliis connexa, et ut vera virtus perfecta est non est ab aliis aliena, quod statim concludit, una utique virtus sine aliis, aut nulla est, aut imperfecta. Item ibidem, prudentia, iustitia, temperantia et fortitudo tanto perfectae

<102vb>

sunt singulae, quanto vicissim sibimet iunctae sunt. Disiunctae autem nequaquam perfectae esse possunt, quia nec prudentia vera est quae iusta, temperans et fortis non est, nec perfecta temperantia quae fortis, prudens et iusta non est. Et sic dicit de qualibet.

Sed hic est quoddam dubium, quia si ita est quod virtutes sint connexae, ergo oportet quod, si ego habeo tantum de caritate

³⁴ Gregorius Magnus, *Moralia in Iob* lib. 22, cap. 1. Cf. Henricus de Gandavo, *Quodlibet* 5, q. 17, fol. CLXXXIXr.

³⁵ Gregorius Magnus, *Moralia in Iob* lib. 22, cap. 3. Cf. Henricus de Gandavo, *Quodlibet* 5, q. 17, fol. CLXXXIXr.

³⁶ Aristoteles, *Ethica Nicomachea* III.7, 1114a.

³⁷ Aristoteles, *Ethica Nicomachea* VI.13, 1144a.

³⁸ Aristoteles, *Ethica Nicomachea* VII.8, 1151b.(?) Cf. Henricus de Gandavo, *Quodlibet* 5, q. 17, fol. CXCr.

³⁹ Mt 7:24-27. Cf. Henricus de Gandavo, *Quodlibet* 5, q. 17, fol. CXCr.

⁴⁰ Gregorius Magnus, *Moralia in Iob* lib. 22, cap. 1. Cf. Henricus de Gandavo, *Quodlibet* 5, q. 17, fol. CXCr.

⁴¹ Gregorius Magnus, *Moralia in Iob* lib. 22, cap. 1, n. 2. Cf. Peter of Trabibus, *Lectura* lib. 3, d. 36, q. 1.

quantum tu, quod tantum habeam de fortitudine quantum tu, et sic de aliis. Hanc autem difficultatem tangit Augustinus, *VI De trinitate IV*,⁴² si enim virtutes quae sunt in animo humano, quamvis alio modo atque alio singulae intelligantur, nullo tamen modo ab invicem separantur, ut quicumque fuerint aequales, verbi gratia, in fortitudine aequales sint in prudentia, et iustitia, et temperantia. Si⁴³ enim dixeris aequales istos esse fortitudine set hunc illum superare prudentia, sequitur, scilicet hoc inconueniens ut huius fortitudo minus prudens sit, ac per hoc, nec fortitudine aequales sunt quando est fortitudo illius prudentior, atque ita de ceteris virtutibus inuenies si omnes eadem consideratione percurras. Et ne tu stares contra eum, quod non est simile, quia licet iste homo habeat omnes bonas qualitates ad corpus pertinentes, non tamen oportet quod ita sit pulcher, sicut est alacer vel fortis, statim dicit, non enim de viribus corporis agitur, sed de viribus animi. Ad intelligentiam⁴⁴ autem dictorum oportet distinguere quoniam illud potest duobus modis intelligi. Uno modo, quod sicut sunt connexae et aequales in uno, ita quod si ego habeo fortitudinem aequalem tuae virtuti, necesse sit quod omnes aliae sint aequales tuis connexis illi virtuti. Et sic non intelligit Augustinus. Secundo modo potest intelligi, quod sicut una excedit aliam secundum unam proportionem, sic excedatur ab alia secundum aliam proportionem a virtute, quae est in alio. Alioquin oporteret peccata esse paria, quod falsum est, immo bene est unus parvior alio. Sed vere possumus dicere, quod in uno homine sit patientia maior quam sit prudentia, sed bene sunt pares et aequales in uno, singulis sui generis in alio.

Stoici⁴⁵ vero in hoc fuerunt decepti, quia volebant unamquamque esse in summo ubicumque esset, et per consequens vitia, sicut dicit Augustinus de eis, *De sententia Iacobi*,⁴⁶ illud de parilitate virtutum omnibus philosophis placuit. Hoc autem de parilitate vitiorum soli stoyci sunt ausi disputare contra communem sensum generis humani. Et ponunt exemplum dicentes, quod nihil refert ad hominem praefocandum habere super se aquam altam multis stadiis, vel palmo, vel digito, sic illos, qui tendunt ad sapientiam, dicunt proficere tamquam surgentes in aerem ab imo gurgitis, quem non potest dici evasisse nisi totam exierit opprimentem aquam. Sic nisi quis totam stultitiam exierit, non potest esse sapiens, ubi autem totam evaserit totam habere sapientiam et nihil remanere de stultitia.

Sed ad hanc similitudinem respondens Augustinus, *De sententia Iacobi*,⁴⁷ dicit, haec similitudo, ubi stultitia velud aqua, et sapientia velud aer ponitur, ut animus a praefocatione stultitiae tamquam emergens, in sapientia repente respiret, non mihi videtur satis accomoda nostrarum Scripturarum auctoritati, sed illa potius, ut stultitiam tenebrae et sapientiam luci comparemus, hoc Augustinus. Sed planum est quod paulatim, quis de tenebris ad lucem venit, donec plenissime fiat ita illuminatum, quod non sit aliquid

⁴² Augustinus, *De trinitate* lib. 6, cap. 4. Cf. Henricus de Gandavo, *Quodlibet* 5, q. 17, fol. CXCIV.

⁴³ Add. in marg. *Et videtur, quod per hoc vult Augustinus probare, quod si Filium est aequalis Patri in uno, quod per consequens in omnibus.*

⁴⁴ Cf. Henricus de Gandavo, *Quodlibet* 5, q. 17, fol. CXCIIr.

⁴⁵ Cf. Henricus de Gandavo, *Quodlibet* 5, q. 17, fol. CXCIIv.

⁴⁶ Augustinus, *Epistulae* epist. 167, vol. 44, par 2. Cf. Henricus de Gandavo, *Quodlibet* 5, q. 17, fol. CXCIIv.

⁴⁷ Augustinus, *Epistulae* epist. 167, cap. III, n. 13. Cf. Henricus de Gandavo, *Quodlibet* 5, q. 17, fol. CXCIIv.

de tenebris. Et sic non erit invita ista in qua sumus(?), quae sine quibusdam gradibus vitiorum non agitur, quoniam si diximus quoniam peccatum non habemus, etc. Et ideo totam connexionem virtutum tam theologiarum quam cardinalium sive politicarum concludens ex proposito *De moribus ecclesiae XV*,⁴⁸ sit, ait, hominis summum bonum, quo referenda sunt omnia, nihil aliud esse potuit quam ipse Deus cui inhaerere beatissimum. Sed certe non valemus nisi dilectione, amore, et caritate, quod si virtus ad bonam vitam nos ducit, nihil omnino virtutem esse affirmaverim nisi summum amorem Dei. Nam illud quod quadripartita virtus dicitur, ab ipsius amore vario quodam affectu, quantum intelligo, dicitur. Illas itaque quatuor virtutes sic diffinire non dubitem, ut temperantia sit amor integrum se praebens ei quod amatur. Fortitudo sit amor facile tolerans omnia propter id quod amatur. Iustitia sit amor soli amato serviens. Prudentia sit amor ea quibus adiuvatur ab hiis quibus impeditur, sagaciter eligens. Et sic prosequitur per totum librum. Item, *XIV De civitate VII*,⁴⁹ ostendit quod omnis animi motus non est aliud quam amor secundum varium gradum. Unde sic ait, amor inhians habere quod amat cupiditas est, sed amor amato fruens laetitia est, sed fugiens quod ei adversatur timor est, id que si acciderit sentiens tristitia est.

<103ra>

Hanc etiam sententiam tenet Seneca. Unde dicit, omne quod bene fit, iuste fit, fortiter et temperanter.⁵⁰ Ergo, cum opus cuilibet virtutis fiat, bene fit fortiter, iuste, prudenter et temperanter.

Item, Tullius,⁵¹ si unam de cortinis tuis admiseris, potes dicere aliam salvam(?). Si autem unam de virtutibus tuas nullam te habiturum necesse est ut confitearis. Ergo apparet, quod una perdita nulla alia remanet. Unde Magister, *Sententiarum XXXVI distinctio III liber*,⁵² hanc sententiam tenet.

Ad intelligentiam

tamen argumentorum oportet notare, quod virtutes sunt in duplici differentia. Quoniam quaedam sunt quae de se nullam imperfectionem includunt in se nec in suo actu, ut diligere. Quaedam autem sunt quae de se nullam imperfectionem includunt, sed bene respectu sui actus sunt imperfecta, quae non possunt exire in actum nisi aliquibus suffragantibus, vel ratione obiecti, vel ratione actus proprii, ut est misericordia, quae nullam de se dicit imperfectionem, sed non potest exire in actum in beata vita, eo quod nullus est ibi miser. Et sic est suo modo ratione sui actus de magnificentia, quoniam nihil dicit de se imperfectionis, sed quando desunt materialia bona non potest exire in actum. Puta quando quis omnia bona sua expendisset in opere proprio magnificentiae, et postea non habet quid expendat, numquid iste perdidit istam virtutem? Absit! Immo tunc eam perfecte habet penes illud quod est virtuti substantiale, scilicet firmum propositum faciendi huius magnos sumptus magnis viris, quando oportet, et ubi,

⁴⁸ Augustinus, *De moribus eccl. catholicae et Manichaeorum* lib. 1. Cf. Henricus de Gandavo, *Quodlibet* 5, q. 17, fol. CXCIv.

⁴⁹ Augustinus, *De civitate Dei* lib. 14, cap. 7.

⁵⁰ Cf. Peter of Trabibus, *Lectura* lib. 3, d. 36, q. 1.

⁵¹ Cicero, *Tusculanae disputationes* lib. 2, cap. 13.

⁵² Petrus Lombardus, *Sententiae* lib. 3, d. 36.

et cuius gratia, si materia adfuerit, sicut fecit Zacheus Christo⁵³ et Matthaeus evangelista.⁵⁴ Sed quando non adest materia, nihil deperit de virtute. Unde dicuntur tales differre non ratione habitus sed status. Et sic est de virginitate, quae dicit propositum firmiter abstinendi ab omni actu venereo, tam licito quam illicito, propter Deum. Et haec est laudabile in virtute propter debitum finem, habere autem materiam virginitatis accidit, quae est integritas carnis. Sed penes hoc materiale non attenditur connexionem in virtutibus, quoniam nihil prohibet alicui⁵⁵ virtuoso suppetere materiam unius virtutis, non autem alterius, ut puta Christus perfecte erat talis, et tamen non suppetebat sibi materia magnanimitatis,⁵⁶ sed bene materia temperantiae. Si tamen facere miraculum voluisset, bene habuisset, sicut quando pavit in deserto quinque milia hominum,⁵⁷ sed sine miraculo dicit se non habere ubi caput reclinet.⁵⁸ Ergo bene possumus ponere in virtutibus connexionem non obstante, quod aliquae virtutes ratione status vel actus sui importent aliquam imperfectionem, dummodo adsit quod pertinet ad substantiam et essentiam virtutis. Et sic est de fide, quod ipsa non est in patria ratione suae imperfectionis, quod est intelligere et credere non visum, sed bene in quantum dicit cognitionem et credere et tenere visum. Unde si aliquis beatus reduceretur ad viam, planum est quod ille haberet fidem, nullo habitu sibi infuse, sed solum subtractio rei beatificae visae faceret eum de comprehensore viatorem, tamen talis plene cognosceret Deum per fidem et non per speciem. Et⁵⁹ haec breviter dicta sint pro veritate huius quaestionis, quam quidem veritatem ad hoc ostendit causa materialis, efficiens, formalis et finalis. Nam anima quae habet multas potentias, nisi in omnibus potentiis rectificetur, non sanatur. Deus etiam omnibus dat, quod necesse est quo ad esse primum et quo ad esse secundum, quod est operari. Gratia etiam conformis est omni virtuti substratae, quas decorat per suam praesidentiam. Gloria etiam non inducitur nisi subiectum undique perfecte disponatur.

Ad primum argumentum in

contrarium, dicendum, quod nec sic, nec sic, sed ratione ordinis in finem ad quem oportet bene se habere, quod esse non potest nisi habeat ea, quae finem cognoscunt et diligunt.

Unde in caritate omnia ligantur, quae eis dat ordinem in finem sub debito modo tendendi. Ideo bene dicit Augustinus, *De civitate Dei*,⁶⁰ quod virtus est ordo amoris.

Ad secundum, dicendum, quod nullus facit actum perfectum alicuius virtutis nisi eam habeat. Sed nullus peccator facit actum perfectum nisi secundum quid bonum et in genere. Ideo dato quod habeat unam imperfectam, non oportet quod alias habeat, ut Gregorius dicit.

Ad tertium, dicendum, quod verum est, quod nullus posset habere summum actum misericordiae nisi eam haberet. Talis autem in nullo est nisi habeat caritatem, quoniam talem actum non impendit sibi ipsi cui primo debet misericordiam facere. Iuxta

⁵³ Lc 19:1-20.

⁵⁴ Mt 9:9-13.

⁵⁵ *Alicui* [...] *non autem alterius*, cf. Thomas de Aquino, *Summa theologiae* II^a-IIae, q. 152, a. 3, ad 2.

⁵⁶ Cf. "Et ideo dicendum est quod propria materia magnanimitatis est magnus honor [...]" Thomas de Aquino, *Summa theologiae* II^a-IIae, q. 129, a. 2 co.

⁵⁷ Mc 6:30-44; Lc 9:10-17; Io 6:1-15.

⁵⁸ Mc 8:20; Lc 9:58.

⁵⁹ Cf. Bonaventura, *Commentaria in quattuor libros Sententiarum* lib. 3, d. 36, a. 1, q. 1, conclusio.

⁶⁰ Augustinus, *De civitate Dei* lib. 15, cap. 22.

illud miserere animae tuae placens Deo.⁶¹ Et praeterea actus virtutum fiunt propter finem, sed nullus potest dare omnia sua et corpus suum in cibos pauperum propter Deum, nisi prius det rationem doni, scilicet amorem, qui caritas appellatur. Sed ad formam argumenti, dico, quod non sequitur ex propositione hypothetica, <103rb>

nec licet inferre antecedens nec consequens. Talis autem est propositio Apostoli,⁶² si distribuero, etc. Sicut alibi dicit,⁶³ si ex operibus legis esset iustitia, ergo Christus gratis mortuus est. Item, si Christus non resurrexit, neque nos resurgemus.⁶⁴ Unde dico, quod illud facere non posset nisi materialiter, et tunc non esset actus virtutis misericordiae, nisi sicut daret se ipsum leo in adiutorium alterius leonis.

Ad quartum, dicendum, quod verum, est quod contraria non sunt in eodem, nec esse possunt, sed magnanimus et pauper non sunt talia, immo bene stant simul sicut patet de Christo et Apostolis. Sed organicae (sic) servientes ad virtutes istas sunt bene contraria, scilicet penuria et habundantia circa eundem. Et ideo dicit ibi Philosophus,⁶⁵ quod inops, scilicet rebus, non potest esse magnificus, nam pauper differ ab inope ut paupertas dicit virtutem.

Ad quintum,

dicendum, quod iam patet, quod bene potest esse, quod alicui competit habere materiam unius virtutis et non subest ei alia. Sic est de Habraam, quae habebabat (sic) caritatem et virginitatem in quantum dicit formalem virtutem, licet deesset sibi materiale virginitatis. Alioquin perderetur virtus sine vitio, immo cum merito, et planum est quod hoc est falsum. Unde si quis esset virgo et Deus praeciperet procurare prolem, iste (sic) mereretur Deo obediendo, et tamen non propter hoc diceretur perdere aliquam virtutem, licet perderet materiale virtutis. Sicut perdunt, qui dant omnia sua propter Deum, qui perdunt materiam multarum virtutum, sed non virtutem, immo tunc augentur. Vel secundum alios virginitas dicit statum ultra⁶⁶ virtutem, sicut dicimus de heroycis virtutibus. Et in talibus non oportet, quod sint connexae, sed sufficit quod teneat continentiam. Et si ultra non est de essentiali sed supererogat, sic non oportet, quod aliquis habeat beatitudinem unam, quae est fortitudo, vel huius dato, quod haberet omnes virtutes.

Ad sextum, dicendum, quod verum est, quod una species alicuius generis bene potest existere sine alia. Et sic est de virtutibus, quod una est sine alia praecise considerata, sicut etiam quilibet homo de exercitu est per se non dependens ab alio, sed ratione eius, quod se habet ad ducem ordinatur adinvicem et sunt connexi, ut dicitur, *XII Metaphysicae*. Et sic est in proposito, quod virtutes non ratione sui sed ratione eius quod ordinantur ad finem suum optimum ponuntur esse connexae, ut non solum in ipsum tendat ne(?), set ne ab ipso cadat aliae coadiuvant.

Ad septem, dicendum,

⁶¹ Sir 30:24.

⁶² I Cor 13:3.

⁶³ Gal 2:21.

⁶⁴ I Cor 15:12-34.

⁶⁵ Aristoteles, *Ethica Nicomachea* IV.5, 1122b.

⁶⁶ Scripsit sed del. t

quod quaelibet virtus perficit habentem et opus eius bonum reddit in genere boni, sicut virtus in genere diffinitur.⁶⁷ Sed non reddit eius opus bonum simpliciter, eo quod non habet omnes circumstantias debitas, ut in finem perducatur.

Ad ultimum, dicendum, quod dato, quod Gregorius dicat illud verbum, quod debet sic intelligi, scilicet, de virtutibus quas non habebant in executione, non autem quod gauderent se non habere in animi⁶⁸ possessione. Unde beatus Franciscus ita gaudebat de virtute martyrii, quam non habebat in executione, sicut de hiis quae continue habebat in usu.

⁶⁷ Scripsit sed del. *su*

⁶⁸ Vel *anima*